

1298, abril, 19

Testament de Berenguer Miret, capellà de Sant Daniel.

ASD núm. 331, perg. orig., 375 x 280 mm.

Cum nichil sit morte cercius nichilque incercius hora mortis, idcirco in Dei nomine ego Berengarius Mireti, capelanus monasterii Sancti Danielis, graui egritudine detentus, in meo tamen pleno sensu, memoria et loquela, meum facio et ordino testamentum, in quo eligo manumissores meos, uidelicet Petrum Gay, Bernardum de Lachu et Bernardum de Oliuaria, clericos dicti monasterii, quos uolo et deprecor ut si me mori contigerit antequam aliud testamentum mihi condere liceat, ipsi uel duo aut tercius illorum si alii nollent uel non possent interesse, distribuant et ordinent omnia bona mea prout inferius inuenerint ordinatum, et dono atque concedo dictis manumissoribus meis et unicuique eorum plenam et liberam potestatem petendi et exhigendi omnia bona mea in iudicio et extra atque accipiendi et si necesse fuerit procuratorem seu procuratores substituendi ante litis contestacionem et post. Imprimis eligo meam sepulturam in cimiterio monasterii Sancti Danielis, in tumulo ubi parentes mei fuerunt sepulti, et ibi dimito pro sepultura .x. solidos. Uolo insuper atque mando quod debita mea persoluantur et iniurie mee restituantur, si que apparuerint manifeste, simpliciter et de plano ante omnia sine strepitu iudiciario, ad cognicionem dictorum manumissorum meorum. Dimito domine abbatisse monasterii Sancti Danielis trescentos solidos barchinonenses ex illis .CCCCLXXX. solidis qui mihi remanent ad soluendum de quodam debito .Dec. solidorum dicte monete quod domina Cecilia olim abbatissa prefati monasterii mihi debet cum instrumento, sicut scriptum est manu propria in dorso dicti instrumenti, ita tamen quod hinc ad festum Sancti Michaelis proxime uenturum dicta domina abbatissa persoluerit dictis meis manumissoribus residuos .CLXXX. solidos, et nisi fecerit, in illo casu dimito eidem domine abbatisse tantum .cc. solidos. Uerumtamen si dicta domina abbatissa seu conuentus dicti monasterii uellent rumpere hoc meum testamentum uel in aliquo contrauenire, in illo casu reuoco et annullo dictum legatum facturri dicte domine abbatisse. Recognosco quod sunt penes me, de manumissoria domine Agnetis de Fuxano condam, quadringenti solidi barchinonenses, de quibus uolo quod iuxta uoluntatem dicte domine Agnetis et testium emantur redditus ad seruicium Aduentus in dicto monasterio faciendum, prout meis manumissoribus utilius uidebitur expedire, et ordino quod dicti manumissores teneantur dictos .cccc. solidos, donec comode potuerint reperiri redditus ad uendendum, ad quos .cccc. solidos persoluendos in presenti obligo et assigno· predictos .cucxx. solidos quos dicta domina abbatissa soluere tenetur de dicta lexia quam ei facio, ut supradictum est, et Decretales meas, quas iubeo uendi et de precio persolui dictos .cccc. solidos et quicquid inde superauerit, dimito predicto seruicio Aduentus in dicto monasterio facendo quod procurat domina priorissa dicti monasterii. Item dimito conuentui dominarum monasterii Sancti Nicholay de Camporotundi .L. solidos, et quod .sint memores anime mee. Item dimito domino abbati Balneolarum quinquaginta solidos et Guilielme, uxori condam magistri Nicholai, phisici Balneolarum, .L. solidos et oleum meum quod habeo in proprio hospicio. Dimito ob remedium anime mee et omnium illorum quibus sum obligatus .ec.

solidos pro missis celebrandis, et celebrentur in ecclesiis in quibus dicti manumissores ordinauerint. Dimitto domine Bartholomee de Ciyario et domine Geralde de Podiopardinarum et domine Guilielme de Aquilario, monialibus, . unicuique .x. solidos, domine Elicsendi de Basilia, .v. solidos. Item dimitto conuentui dominarum monasterii predicti Sancti Danielis .c. solidos, et quod sint memores anime mee dicendo Psalterium et oraciones. Dimitto cuilibet dictorum manumissorum meorum .x. solidos pro honore manumissorie sustinende. Dimitto sacristie Sancti Danielis scrineam meam maiorerri; domino episcopo Gerundensi, .II. solidos. Item dimitto .CCL. solidos ex quibus emantur unum missale et unum pistolerium qui sint ecclesie Sancti Danielis, et si quid superauerit, emantur inde libri ad opus eiusdem ecclesie sicut dictis manumissoribus uidebitur faciendum. Dimitto Blanchete de Paleria moniali mantellum meum nigrum cum pena cirogrillorum, et quod sit memor anime mee. Item dimitto Sicardo .x. migerias ordei et .m. migerias frumenti et quandam flassiatam quam ipse iam habet a me, et debitum quod mihi debet et cotam et tunicam laudam et capucium. Item dimitto Andree mulieri unam migeriam ordei et Mathee, mulieri de Camporotundo consanguinee mee .L.solidos et Ginebreda .v. solidos quos mihi debet. Instituo et facio heredem meum uniuersalem conuentum dominarum monialium prefati monasterii Sancti Danielis, quibus dono omnia bona mea et iura mihi pertinencia ubique, preter hoc quod superius sum testatus; nolo tamen quod ipse heres meus possit aliquid de bonis meis apprehendere in predicta hereditate donec omnia predicta legata et alia superius contenta fuerint per dictos manumissores meos plenarie et integre persoluta ac etiam completa. Hec est enim ultima mea uoluntas quam uolo ualere iure testamenti, et si non ualeret iure testamenti saltim uolo quod ualeat iure codicillorum uel alterius ciuiuslibet mee ultime uoluntatis.

Quod est actum .xrn. kalendas maii anno Domini millesimo .ccxc. octauo. Sig+num Berengarii Mireti predicti, qui hoc testamentumfacio, lauda et a testibus firmari rogo. Testes rogati huius testamenti sunt Petrus Gay, Bemardus de Lachu et Bemardus de Oliuaria, manumissores predicti, et Sicardus et Bemardus de Muso, de Baschanone et Benedictus de Fumo et Arrialdus de Lachu, habitatores Gerunde. Eg(s. man.)o Raimunus de Cote, tenens locum Raimundi de Toyloano, publici Gerunde notarii, hec scripsi et clausi.

Extret de: Marquès, Josep M., ed. Col·lecció diplomàtica de Sant Daniel de Girona (924-1300). Barcelona: Fundació Noguera, 1997. 620-622